



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCLXXVII. De Fratre Henrico du Cunce.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

PARS TERTIA

350

Gottfridus C. de Hohenloh XI. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
Gonradus Sak XVI. Mag. Provincialis in Prussia.

A Nno Domini MCCCII. frater Go-  
defridus Magister Generalis cum L.  
fratribus transiens Prussiam , venit ad  
terram Livoniae , & relictis ibi fratribus  
in subsidium dictæ terræ , dum anno se-  
quenti rediret Pruschiam , in Capitulo  
Elbingensi suum officium resignavit ; li-  
cet sibi dum in Teutonium reversus es-  
set , denuo (a) temerarie usurparet.  
Quâ resignatione factâ , electus fuit sta-  
tim ibidem frater Syfridus de Wucht-  
vangel in Magistrum Generalem , qui iivit versus (b) Venetias  
ad domum principalem.

Anno Domini MCCCII,  
Quidam latro devotus, tra-  
men Virgini Mariae Peru-  
ssi in Italia decollatus fu-  
it, cuius caput jam preci-  
sum clamavit altâ voce:  
afferte mibi Sacerdotem  
quia B. Maria , prout eam  
in Orationibus meis singu-  
lis diebus fuisse rogavi, non  
sinit me mori atque  
confitear omnia peccata  
mea & sic factum fuit.

A N I M A D V E R S I O N E S

- (a) Hinc est, quod Schuzius Gotofredi C. de Hohenloh imperium ex-  
tendit usque ad annum MCCCIX. Lib. I. Chron. Pruss. fol. 53. b.  
(b) Domum Ordinis Principalem Venetiis fuisse usque dum in Prussiam  
illa transferretur, tradit hic Dusburgius; Eodem modo habet hoc  
Jeroschinus. Item Auctor Chronicus sub Friderico Mag. Ord.  
Gen. Latino idiomate scripti. Sed Auctor vel potius Continua-  
tor Chronicus Ordinis dicit, occupatam à Saladino Acconam , sedem  
Ordinis fuisse translatum Marpurgum in Hassiam , donec illa in  
Prussiam transferretur fol. 93. a. Verum quæ de sede & Accona trans-  
lata dicuntur, intelligenda sunt de reliquiis tantum illis , quæ fue-  
rant Acconæ. Nam sedem Magistri Generalis jam Hermannus  
de Salza ante expugnatam à Saludino Acconam transtulerat Ve-  
netias, teste auctore Chronicus Lat. modo citati.

C A P. CCLXXVII.

De  
Fratre Henrico de Cunce.

Hoc

Sigfridus de Feuchtwangen XII. Mag. Gen. Ord. Teut.

Conradus Sak XVI. Mag. Prov. in Prussia.

Hoc tempore in Pruschia frater Henricus de Cunce natus de Thuringia mortuus fuit. Qui cum adhuc esset secularis miram tyrannidem exercuit, raptor magnus & homo maleficus. Vedit quādam die in crepusculo venientem ad se quendam virum equo nigerrimo insidentem qui dixit ei: Henrice veni tecum solus, ego te educam ad locum, ubi ditaberis per prædam magnam. Henricus acquievit, & ascendens eqvum suum, secutus est eum per multa viarum discrimina. Tandem venit ad locum, ubi eqvus suus ultra ire non voluit, licet calcaribus saepius perurgeret. Vedit enim eqvus periculum, quod ipse propter noctis tenebras videre non potuit. Ultimo dictus Henricus ad eqvum suum, stimulans eum fortiter calcaribus: procede in nomine Domini Dei. Tunc socius ejus scil. Diabolus, stans ex adverso ait: Bene tibi, quia nominasti nomen DEI tui; quia si hoc non fecisses jam præcipitatus jaceres mortuus in hac valle. Henricus perterritus mansit in eodem loco non audens procedere aut retrocedere usque in diem sequentem, & cum videret rupem altissimam, de qua debebat tandem in vallem profundissimam, si eqvus modicum processisset, præcipitari, signavit se signo S. Crucis, & laudavit nomen Domini, per quod

Eodem anno incœpit discordia inter Bonifacium Papam ex una parte, & Philippum Regem Francie ex altera. Dixit enim Papa Regnum Francie in temporalibus & Spirituibus immediate subesse sedi Apostolice, & misit Papa rescriptum subjectionis cum bullâ Regi Francie, afferens, dicentem contrarium hereticum esse, quod rescriptum lectum fuit, & combustum Parisiis in Palatino Regis coram innumerâ multitudine Clericorum & Laicorum, & Rex contra Papam posuit XV. articulos criminosos, & appellavit ad futurum, Concilium sive Papam. Papa tamen de hujusmodi criminibus Româ in Concilio se purgavit. Eodem anno in Mense Julio Flandrenses rebellaverunt contra Regem Francie, & convenientes in bello tria millia Gallicorum Comitum, Baronum & Nobilium ceciderunt.

Sigfridus de Feuchtwangen XII. Mag. Gen. Ord. Teut.  
Conradus Sak XVI. Magister Prov. in Prussia

quod fuerat à tanto periculo liberatus. Unde accidit , quod quadam die in crepusculo vidit quandam Judicem sedentem pro tribunali, & multitudinem populi circumstantem, qui ipsum omnes de diversis malitiis accusabant, & adductus ad Judicium, dum Judex quereret, quid ad objecta responderet, perterritus tacuit. Tandem post multas minas Assessores rogabant Judicem , ut ei parceret, ipse enim Vitam suam deberet brevitatem mendare. Et cum idem frater Henricus promisisset, se Ordinem domus Teutonicæ intraturum, omnis illa congregatio dissipavit, & amplius nihil vidit. Reversus itaque pallidus & stupefactus ad castrum suum, uxori suæ mulieri Nobili, Juveni & delicate cuncta, quæ viderat, enarravit, quæ ei poenitenti divitium denegavit. Et sic dum quasi dubius in voto complendo per tempus aliquod existeret, Diabolus humani generis inimicus, qui mille modos nocendi habet, volens ipsum à sancto suo proposito retardare, apparuit ei in somnis, in habitu regio multa stipatus militia ait: Henrice talem Civitatem & tale Castrum habeaster & sis miles strenuus & servias mihi & amplius tibi dabo. Cum autem ipse cogitaret intra se ; quod merito deberet servire tali Domino largo, apparuit Jesus Christus cum quinque vulneribus & ait: Henrice ego sum largior illo, & tacto vulnere lateris dixit: Hanc civitatem dabo tibi si servieris mihi, quæ multo melior est illâ, quam tibi seductor ille Rex promisit. Et cum hoc iterum uxori suæ revelaret adhuc quasi obstinata ipsi intrandi Religionem licentiam denegavit. Unde factum est , quod singulis noctibus audivit horribilem sonum , tanquam mallei percutientis ad parietem & vocem dicentem; Henrice surge ad orandum, quia jam fratres tui surrexerunt. Tot ergo & tantis Mulier terribilibus vexata sonis & mirabilibus territa vocibus, non habebat ultra sancti viri sui proposito spiritum resistendi,  
*bonap*  
sed

Sigefridus à Feuchtwangen XII. Mag. Gen. Ord. Teut.

Conradus Sak XVI. Magister Prov. in Prussia.

sed rejecta omni pertinaciâ, dedit ei quamcunque vellet assu-  
mendi religionem liberam facultatem: Ostentâ sic licentiâ, se-  
cessit ad partes Prussiæ & facta professione in Ordine domus  
Teutonicæ, sicut antea in seculo existens conterraneos suos ma-  
litiâ præcedebat: ita nunc in religione fratres cæteros virtuti-  
bus excedebat. Hic quodam tempore dum in Infirmitate gra-  
vi laboraret, vidi unum Judæum & alium Christianum in habi-  
tu (a) bacchardorum, unum à dextris suis, alium à sinistris, stan-  
tes & disputantes de articulis fidei, & dum Judæus ipsum vicisset  
ait: Henrice audisti nunc quia fides tua te salvum facere non  
potest, crede ergo fidem Judæorum. Respondit frater Henricus:  
Ego credo in Deum Patrem omnipotentem, & cætera, quæ in  
Symbolo Apostolico continentur, & statim disparaerunt.

#### ANIMADVERSIO.

(a) Bacchardorum, fortasse Bacheloriorum sive Baculariorum i.e. inter se  
concertantium militum. Quæ voces occurrunt apud Matthæ-  
um Parisiensem aliosque plurimos. Vid. Wilhelmus Watsius in  
*Glossario ad Matth. Parisiensem*. De Academicis etiam Baccalau-  
reis intelligi posset. De quibus hoc tantum notat Watsius: Ba-  
culos in dextris portare, olim Philosophorum fuisse insigne: πόδων πα-  
την διξιά φέροντες οἱ φιλόσοφοι. Chrysost. hom. 19. ad popul. Antioch.  
Conf. & Vossius lib. 1. de Vitiis serm. Cap. XIX. pag. 77.

#### CAP. CCLXXVIII.

De

#### Vastatione terræ Carsoviæ.

Hoc anno in hyeme frater Conradus  
Magister cum maximo Exercitu in-  
travit terram Carsoviæ, & quia ductores  
erraverant in via, infideles præmuniti fu-  
gerant ad tutâ locâ. Unde præter incen-  
dium

Anno Domini MCCCIII.  
Bonifacius Papa Alber-  
tum Regem Romanorum  
in Imperatorem confir-  
mat, & eidem Regnum  
Franciæ subjecit, quod ta-  
men

Xy

men